Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



latum se custodire ab hoc seculo.

II

Fratres mei nolite in personarum acceptione habere fidem domini nostri ihesu cristi glorie. Etenim si introierit in conventum vestrum vir anulum aureum habens in veste candida introierit autem et pauper in sordido habitu et intendatis in eum qui induitus est veste preclara et dicetis ei tu sede hic bene pauperi autem dicatis tu sta illic aut sede sub scabello pedum meorum. nonne iudicatis apud vosmetipsos et facti estis iudices cogitationum iniquarum audite fratres mei dilectissimi. nonne elegit deus pauperes in hoc mundo divites autem in fide et heredes regni quod promisit deus diligentibus se. Vos autem exhonorastis pauperem nonne divites per potentiam opprimunt vos. et ipsi attrahunt vos ad iudicia. nonne ipsi blasphemant bonum nomen quod invocatum est super vos. Si tamen legem perficitis regalem secundum scripturam diliges proximum tuum sicut semetipsum bene facitis. Si autem personas accipitis peccatum operamini. redarguit a lege quasi transgressores. Quicumque autem totam legem servaverit offendat autem in uno factus est omnium reus. Qui autem dixit non moechaberis dixit et non occides. Quod si non moechaberis occidas autem factus es transgressor legis. Sic loquimini et sic facite sicut per legem libertatis

iudicandi. Iudicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam. Superexaltatur autem misericordia iudicio. Quid proderit fratres mei si fidem quis dicat se habere opera autem non habeat. Numquid potest fides salvare eum. Si autem frater soror nudi sint et indigeant victu cotidiano. dicat autem aliquis de vobis illis. Ite in pace. calefamini et satiamini. non dederitis autem eis que necessaria sunt corpori. quid proderit illis nisi caritas. Sic et fides si non habeat opera mortua est in semetipsa. Sed dicet aliquis. Tu fidem habes et ego opera habeo. ostende mihi fidem tuam sine operibus et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Tu credis quoniam unus est deus. Bene facis. Et demones credunt et contremiscunt. vis autem scire o homo inanis quoniam fides sine operibus mortua est. abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est offerens ysaac filium suum super altare. Vides ergo quoniam fides cooperabatur operibus illius et ex operibus fides consummata est et impleta est scriptura dicens. Credidit abraham deo et reputatum est illi ad iustitiam et appellatus est dei amicus. Videtis ergo quoniam ex operibus iustificatur homo et non ex fide tantum. Similiter autem et rahab meretrix nonne ex operibus iustificata est suscipiens nuncios et alia via eiciens. Sicut enim corpus emortuum est sine spiritu ita et fides